

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 13. De dubio, quod habere debet anima remissa, an sit in statu
gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](#)

44 Considerationes Christianæ.

October.

Statue, quocunque obtentu hujuscemodi spe-
culis nunquam assistere.

Ignorans, quod ad vincula stultus tra-
hatur, donec transfigatur sagitta guttus e-
jus; veluti si avis festinet ad laqueum, &
nescit, quod de periculo animæ illius agi-
tur. *Prov. 7. 22. & 23.*

Quid tibi cum pompis diaboli, adver-
sus quas in signaculo fidei ejurâsti? *Tertull.*

DIES XIII.

De Dubio, quod habere de-
bet anima remissa, an sit in sta-
tu gratiæ.

I.

Grandem formidandi, nosque submissè
gerendi causam habemus, quod pol-
liceri nobis non possimus, nos in statu gra-
tiæ esse constitutos: sed magnam habere
causam hac de re dubitandi, magis adhuc
arrogantiam nostram comprimit. Homo
fervens timet, ne non sit in gratia; multò
tamen magis sperat, quam timeat; idcir-
co, quod rationes habeat sperandi, se in
statu gratiæ esse: ideoque ipsius timor ani-
mum ejus non frangit. Homo vero igna-

VIII

vus magnas habet dubitandi rationes, an October
in gratia sit constitutus: itaque ei longè
magis timendum, quam sperandum.
Quid terribilius? ut primùm gratia ani-
mam aliquam ingreditur, Spiritus sanctus
in ea, velut in templo suo residet. At
habemusne causam nobis persuadendi,
Spiritum sanctum in anima tepida reside-
re? Spiritus enim sanctus spiritus est pu-
rus, ardens, vehemens; anima tepida car-
ni addicta, sensibus dedita, frigida, socors.
Quomodo igitur Spiritus iste purus ani-
mam carni, & sensibus devotam incolere
potest, cum ipsemet id se posse, neget?
quomodo Spiritus tam ardens morari in a-
nimo penitus glaciato poterit? quomodo
Spiritui isti tam vehementi cum tanta fa-
cordia convenire? si verò dubitandi datur
locus, an Spiritus sanctus habitet in ani-
ma tepida, an non etiam dubitandi locus
est, an anima tepida sit in gratia; quæ vin-
culum illud est, quo Spiritus sanctus, cum
illa unitur?

II. Gratia est animæ nostræ, quod ani-
ma est corpori nostro. Hæc est ejus for-
ma; est, ut ita dicam, animæ nostræ ani-
ma. Anima in corpore nostro continuum
est actionum vitæ naturalis Principium;
gratia in anima nostra debet esse princi-
pium

October.

pium continuum actionum vitæ supernalis. Si in corpore aliquo nullum amplius vitæ naturalis motum adverto, causam habeo judicandi, animam inde excessisse, ac proin corpus mortuum esse. Si in anima quadam nullum signum animadverto hujus vitæ divinæ, hujus vitæ supernaturalis, an non pariter habeo rationem judicandi, gratiam ab ea recessisse, animamque mortuam esse? jam verò, ubi sunt actiones vitæ supernaturalis in anima tepida, & socordi? si ea mentem suam scrutetur, si in actiones suas inquirat, potestne sibi polliceri vel unicam earum verè supernaturalem esse; cuius Deus unicum principium sit, & finis? an non omnes eius actiones à natura, à proprio genio, animi motione, consuetudine, vanitate, respectu hominum profiscuntur? potestne vel unica earum gratiæ tribui? O quantus hac de re dubitandi locus est!

III. Medium ipsum, quo anima tepida, & ignava ad recuperandam gratiam utitur, Sacramentum nempe pœnitentiæ ansam dubitandi præbet, an istam gratiam possideat. Pœnitentiæ juncta deberet esse contritio vel perfecta vel imperfecta, sincera tamen tunc etiam, cum quis de peccatis duntaxat levioribus se accusat. Hæc enim

enim si absit, Confessio vel nulla, vel sa- Octobet
crilega est. Uterque dolor animæ tepi-
dæ ex æquo difficultis est, quod ad peccata
venialia attinet. Infernus unicum ferè
motivum est, quod permovere potest a-
nimam ad concipiendum dolorem adeò
duram, ut est anima tepida. Et tamen is
saltem directè motivum esse non potest
doloris imperfecti de noxis levioribus.
Contritio perfecta difficilior adhuc ei acci-
dit: nam denique dolor ob Deum in rebus
etiam levioribus offendit, ob hanc solam
rationem, quod id Deo displicuerit, res est
ab amore proprij commodi tam aliena, &
perfecta, ut animæ etiam ferventissimæ
ulterius progredi non valeant? quomodo
igitur id speremus de anima languida, mi-
nusque fidei, quæ peccatis venialibus to-
ties, & consultò à se admissis, sat is ostendit,
se non magnopere dolere de infelici-
tate, Deo displicendi? annon hæc, Do-
mine, ansam mihi præbent, si ignavus
sim, de bonitate pœnitentiarum mearum
dubitandi, & timendi, ne ipsum medium
quod mihi suppeditâsti, gratiam recupe-
randi, ob socordiam meam aliud non sit,
quam occasio eam perdendi? mihi met
machinandi?

Ine

October.

Inquire in Confessiones tuas, in quibus te non nisi de peccatis levioribus accusas, ut videoas, an polliceri tibi possis, te sincerum dolorem habere.

Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Gen. 6. 3.

Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Ambros.

DIES XIV.

**Deus Suum Nobis Amorem
testatur, cùm nobis adversa
submittit.**

I.

Deus suum in nos amorem testatum facere melius non potest, quā res adversas nobis immittendo; idcirco, quod eae nobis cogitationes de salute nostra suggerant. Quemadmodum prosperitas, & voluptates efficiunt, ut salutis oblii eandem negligamus, sic calamitates, & ærumnæ nos compellunt, ut de ea cogitemus. Si mundus ridet, nobisque blanditur, tunc eum amamus, ei nos addicimus, ejus bonis, & delicijs, quæ nobis affert, fascinari nos patimur. An non homo suis bonis penitus immersus, delicijs suis innatans, sa- lutem, Deumque suum, & unà seipsum obli-